



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Selectae Christiani Orbis Deliciae ex Urbibus, Templis,  
Bibliothecis, et aliunde**

**Sweerts, Pierre François**

**Coloniae Agrippinae, M. DC. IIX.**

Mantvana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69234](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69234)

## IN AREA PRAETORII.

ZACHARIAS BAR. Eq. Veronen. Præf. nonnullas in agro, tres in vrbe arces instaurauit: Prætorium hoc sublicium marmoreum fecit, forum ampliauit, curiam ædificauit, in penuria annonæ famem defendit, Rempublicam integrè gessit, æquale ius omnibus dixit. Eius discelsum populus lacrymis declarauit. M. CCCC. LXXVI.

## MANTVANA.

IN MANTVAM IVL. CAES.  
SCALIGER.

**M**axima cū veteri turgeret Hetruria regno,  
Sceptraque terrarum iungeret andæ  
mari:

Mole noua tumuit, solisq; excreuit auitis,  
Vt premeret forti iura aliena pede.

Inde est in superas deducta colonia terras:

Non tamen his potuit MANTVA tota dari.

Clara viris, felix ducibus, diuo inclyta cycno,

Quem vitreis aluit Mincias Andis aquis.

MANTVA diues auis magno non cesserit orbi,

Tota tamen parte hac vincitur ipsa sui.

## IN AEDE CATHEDRALI.

Aduentare mihi extremam dum suspicor horum,  
Osibus hanc posui viuis in aede domum.

## AD IMAGINEM RESVRGENTIS.

*Nos quoque, qui solus super ata morte reuixit,  
Sumpturos carnem rursus, & ossa, docet.*

## IN S. ANDREAE.

## LAMPRIDII.

LAMPRIDIVM Carum Musis hîc Mantua seruat.

PETRVS MYRTEVS BENED. LAMPRI-  
DIO POS.

Ergo ego, nobilium ô Genitrix atque hospita vatam  
Mantua, quod nimium vicina Cremona Maroni  
Obfuerit, solus pœnas abs te ipse repositor?  
Ille soli tantum tulit: ast ego de te,  
Mantua, de quæ tuo meritis bene principe, cara  
Propatria, & vitam, & cineres tibi reddere cogor.

## MANTINEAE.

Esse parem hunc nôris, si non preponis Apelli,  
AENEAE MANTINEAE qui simulacra vides.  
ANDREAS MANTINEA, Apelles sua æta-  
tis, Equestri idcirco dignitate ornatus.  
Obijt anno M. D. XVII.

## CAROLO NAVOLONO.

CAROLVS Eques clarissimus NAVOLONVS,  
Belli Magister, & equitum inclytus ductor,  
Prudens duorum tum Ducum gubernator,  
Patria quæ militum optimus fuit rector;  
Nunc superis, ob integerrimam vitam  
Receptus, hoc reliquit ossa sub saxo.

Obijt anno salutis M. D. LIX. ætat. LXXIX.

L 4 IN

IN D. FRANCISCI.  
HIPPOLYTI ALTERICI.

*Fatis HIPPOLYTO impijs adempto  
Maximo Alterica domus honore,  
Consulto egregio vtriusque Iuris,  
Oratoreque & optimo Poëta,  
Deplorat pater, ingemunt clientes:  
Silet Mantua, Aonidesque lacrymantur.  
Qui obiit anno salut. M. D. LXIX.  
ætat. XXXVIII.*

LAELIO CAPILVPO BENEDICTI F.  
*Mantua te Leli meritò se iactat alumno.*

*Nam Maro qua sonuit tu quoque voce sonas.  
Et tua sint quamuis ex omni parte Maronis  
Carmina; non eadem qua canit ille canis.  
Non igitur mirum si te modò Mantua ademptum  
Certatim spargit floribus & lacrymis.*

Vixit annos LXII. dies xv.  
©. Anno M. D. LX. III. Ian.

BENEDICTVS AEGIVS AD  
CAPILVPVM.

*Si vera est, LAELI, SAMI sententia vatis:  
Qua tua nunc anima est, ante Maronis erat.*

IBIDEM.

*Si neque fata queunt animos seiungere amicos;  
Æternum heic Blanca est, Iulius, & proliis.*

D. O. M.

*Si fata venderent aut permutarent animas;*

IV LIV M

IVLIVM GONZAGAM probitas redimeret,  
 Et vxor vitæ permutaret propria.  
 At quia neutrum licet: probitas raptum luget.  
 En vxor Biancha amoris æquæ ac doloris  
 Hoc illi monumentum viuens collocat.

## IBIDEM:

ANNIBAL CONSTANTIVS Neapol. eques,  
 præsidio equestri Principis præfectus, sibi ac Sci-  
 pioni Calderino, qui sæpius Ordinem duxit, viuens  
 faciendum curauit: ne quos beneuolentiæ caritas  
 in vita arctiss. vinculo coniunxerat, in morte dis-  
 iungerentur.

IN COEMETERIO AD EFFIGIEM  
 IO. BAPTISTAE SPAGNOLI  
 Carmelitæ.

Alter hic iacet à Marone vates,  
 Natus Mantua, & quidem Poëta  
 Dignior titulo, nisi incidisset,  
 In fluctus varios scientiarum,  
 Quo musas coluit minore cura.  
 Primus hic tamen à Marone, natus  
 Mantua, coluit poëta Musas,  
 Andinosq; bibit sacro ore fontes.  
 Vixit annos octoginta natus M.CCCC.  
 XLIV. XII. April.

FRANCISCVS SVVEERTIVS,  
 in eundem.

Mantua me genuit, tenuit quoq; Mantua, sacros  
 Nunc eadem cineres Mantua cara tenet.

L S I N S.

## IN S. DOMINICO.

IOANNES MEDICES hîc situs est, inuictata  
virtutis Dux, qui ad Mincium tormento ictus Ita-  
liae fato potius, quàm suo, cecidit M. D. XXVI.

## IOAN. FRANCISCI PVSTERIAE.

Gallorum veterum scribis dum stemmata regum,

Quicquid & occidua contigit Hesperia.

Quot reges pictis posuerunt iura Britannis,

Quos Hunni, & Russi, quosq; Polonus habet.

Ecce immaturos carpsit mors inuida fructus,

Concidit & dura sylua tenella manu:

Quae si cul' a nea poterit reparari arte,

Florescet nitido marmore sylua magis.

Vixit annos XLII. M. v. D. XIII. Obijt

III. Id. Mart. M. D. LXXVI.

## IN AEDE S. MARIAE CARITATIS.

ANGELICAE BVRGIAE.

Diuinum munus supremis sedibus olim

ANGELICA ad terras BVRGIA missa fuit.

Has Deus angelico non dignas corpore ducens,

ANGELICAM sedes duxit ad Angelicas.

Obijt die vltima Ianuar. M. D. XIX.

## AD CARMELITAS.

Hospes ALEXANDER triplici clarissimus ore

Hic cubat, hic sacer est mambus iste locus.

Sive sonum mallei, siue instrumenta sonora,

Nec melior psalter, nec faber ullus erat.

Regia nemo pari tornabat vasa decore,

Sive

*Sive as, seu gemmas, sive terebat ebur.  
 Maiori superos nemo pietate colebat:  
 Qui legis ergò, pia dic pia verba anima.*

## LVCRETIAE.

*Accolit angelicas quæ nunc LVCRETIA sedes,  
 Frigida sub paruo marmore clausa iacet.  
 Ne stupeas, confessa Deo sua crimina planxit,  
 Senferat extremum cum sibi adesse diem.  
 Atq; comas neglecta, crucem complectitur ipsa,  
 Cui lacrymas fundens basia mille dabat.  
 O mirum! o summi pietas immensa Torantis!  
 Quæ peccans vixit, facta beata nece est.*

Obijt anno salut. M. D. XXXVI. Die XX.  
 Decembr.

## AD S. MARTHAM.

ALEXANDRO GONSAGAE Friderici I. Du-  
 cis Mantuæ F. Caroli V. Impe. Augusti, & Philip-  
 pi Hispan. Regis auspicijs, maximarum rerum ad-  
 ministratione, & peditum equitumque ductu, non  
 minus pacis artibus, & Christianæ religionis cul-  
 tu, quam nobilitissimi generis splendore, & bellicæ  
 virtutis gloria claro, Fabius & Alexander FF. pa-  
 renti opt. merito PP. inæstissimi. Vixit annos LX.  
 M. x. D. iv. Obijt XIX. Kal. Septemb. anno salut.  
 M. D. LXXX.

## ALBERTINO PAVESIO.

Ingeniis artibus erudito Ludouicus filio P.  
*Ante pestis mihi cur te mors abstulit? heu heu!  
 Debueras oculos claudere (nate) meos.*

IN

## IN S. BARBARÆ.

Amici mei omnes desinite luctu quietem nunc  
meam rumpere. Vixi namque ut morerer: mor-  
tua sum ut viuerem: vobiscum victura demū, cum  
mortua mors fuerit. Dominicæ vxori dilectiss.  
Vincentius de Ferratis, & filij matri bene merenti  
pos. Anno M. D. LV.

## IN S. NICOLAI.

FRANCISCI GISVLPHI, ex antiquissimo  
Longobardorum sanguine hîc ossa clauduntur,  
donec immutatio veniat, & corruptibile hoc in-  
corruptibile induat, & mortale immortalitatem.

## PETRI POMPONATII MANTVANI.

Hîc sepultus iaceo. Quare? nescio. nec, si scis  
aut nescis, curo. Si vales, bene est. viuēs valui. For-  
tasse nunc valeo. Si, aut non; dicere nequeo.

## IOANNES LATOMVS.

*Cur, quis hic iaceam, referre cogor,  
Et caussæ iugulo meæ admouere  
Hunc Ensem, ut modo mortuus, cinisq;  
Si tecum fuero locutus, atri  
Convincar placiti, reusq; siam?  
Sed sunt irabidi, & mali poëtae;  
Qui, quum plurima mentiantur ipsi,  
Me verum prohibent tacere: nam sum  
POMPONATIUS ille, qui professus  
Manes esse nihil, sed interire  
Quicquid est hominis, pati q; fatum,*

Nunc



*Nunc contra experior: tacere proinde  
Mallem, sed rabidi vetant poeta.*

---

CREMONENSIA.

---

IN CREMONAM IVL. CAES.  
SCALIGER.

**Q**uis modus esset agris, & quanta licentia fru-  
Verba peregrina Gallica voce notant. (gū.  
Inde solum nati latum dixere Cremonam,  
Quin Latio vox est delitiosa cremor.  
Vsq̄ue aded̄ longo reddit cum sc̄nore tellus:  
Prateritiḡ, hornus commoda ridet ager.  
Defuit & cultrum, & vomer: non deficit vber.  
Lassa manus, trita sarcula, fessa Ceres.  
Reddant pensum alia: nostra lex vnica terra est:  
Et votum domini, & spem superare sui.

---

IN CATHEDRALI.

D. O. M.

PAVLO ALAE, qui ob IV. Cl. eximiam pruden-  
tiam in Senatum Mediol. cooptatus, cum Magistr.  
tum, ea fide, grauitate, abstinentia, castè integreq̄,  
& ad priscā probitatis laudem gessit, vt longè ma-  
iores à Rege sperare debuisset. Sed heu! dum Reip.  
dignitati enixè priuatorumque commodis beni-  
gnè studet, suis parum consulens, perdita valetudi-  
ne diu vsus vita cessit, suo magis, quàm aliorum  
tempore. Vixit annos TL. M. X.

Ciuit. CREM. decreto sepulcro sumptu pub-  
cui B. M. parentauit.

*Inscriptio honoraria in exequijs. Sepultus Alba.*

IBI-